

**Dissertatio inauguralis medica, de medendi ratione per praesidia diaetetica  
... / [Jakob Valentin Moeller].**

**Contributors**

Moeller, Jakob Valentin, 1698-1757.  
Burchard, Christoph Martin, 1680-1742.  
Universität Rostock.

**Publication/Creation**

Rostochii : Typis Jo. Jac. Adleri, [1726]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/q884e22r>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



**MEDENDI RA-  
TIONE  
PER  
PRAESIDIA DIAE-  
TETICA,**

*Quam*  
AVSPICE DIVINO NUMINE;  
ET

INDVLTV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI,  
PRAESIDE.

VIRO EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO  
ATQVE DOCTISSIMO,

**DN. CHRIST. MARTINO  
BVRCHARDO,**

MED. DOCT. ET PROF. PVBL. ORDIN. CELEBERRIMO, REIPVBL.  
ROSTOCH. PHYSICO GRAVISSIMO,  
PATRONO AC PROMOTORE SVO COLENDISSIMO,

**PRO DOCTORIS GRADV**

IN ARTE SALVTARI RITE OBTINENDO,  
PVBLICAE DISQVISITIONI SVBICIET

**IAC. VALENTINVS MOELLER,**  
SVLZA - MECKLENB.


---

AD DIEM III. SEPTEMB. MDCCCXXVI.  
H. L. Q. C.

---

R O S T O C H I I,  
TYPIS IO. IAC. ADLERI, SEREN. PRINC. ET ACAD. TYPOGRAPHI.







# PROOEMIUM.



Instrumenta ad amissam sanitatem resti-  
tuendam idonea in Scholis Medico-  
rum ex triplici fonte deduci, Phar-  
maceutico nimirum, Chirurgico, ac  
denique Diaetetico, cuilibet, qui vel  
a limine tantum artem nostram salu-  
tauit, notissimum est. Quamuis au-  
tem Pharmacia pariter atque Chirur-  
gia nostro & superioribus saeculis tanto  
studio exculta sint, vt haec ad summum fastigium euecta vi-  
deatur, illa vero medicamentorum copia potius labore, quam  
deficiat, quemadmodum id pluribus ostendit *Ludovicus de Phar-*  
*macia sua moderno saeculo applicanda.* Diaetetica tamen dis-  
ciplina, quatenus ad morborum medelam symbolum suum infert,  
si non prorsus neglecta, certe admodum perfuncte huc-  
usque tractata fuit. Quæ enim de hoc argumento in practi-  
corum monumentis hinc inde leguntur, nimis generalia sunt,  
& propterea Medici plerique in ipso artis exercitio constituti  
officio suo satisfacisse putant, si ægrotis suis Salsum & Acidum  
interdicant, ita vt nil magis aequè frequens, ac pariter ineptum  
audiatur, quam hoc: *Der Herr Doctor hat mir alles Salz und*  
*Sauer verboten:* cum tamen aliqui morbi sint, qui haec ipsa non  
solum commode ferunt, sed etiam sine istis vix exstipari se pa-  
tiuntur. In Institutionibus autem Medicis, Diaetetica ad Hy-  
gieinen referri solet, latissimeque disseritur, quid Diaeta ad  
Sanitatis conseruationem faciat, cum tamen Medici officium  
non sit, recte valentibus leges praescribere, sed potius ægrotis  
aut infirma valetudine vtentibus: *Qui enim recte valet & suae*  
*A* *spontis*



*spontis est, nullis obligare se legibus debet, vt optime Celsus monuit;*  
 (a) Et ipse Tiberius Caesar cludere solitus est, *Medicorum artes, atque eos, qui post trigessimum aetatis annum ad internoscenda corpori sua utilia vel noxia, alieni consilii indigerent.* (b) Contra vero istis, qui ex prauo vitae genere aegroti decumbunt, diaeteticas regulas praescribere, officium est Medicorum. Nescio autem cur in hoc medendi genere adeo negligentes sint Medici, cum tamen iam praeceuntes habeant, primos Artis Inventores, qui solis diaeteticis regulis id olim praestitere, quod nunc ex praestantissimis remediis interdum frustra exspectamus. Certe *Asclepiades*, reiecta fere Pharmaceutica re, Medicinâ ista diaeteticâ ita inclaruit, & ad tantas peruenit diuitias, vt *Mithridatis Legatos* & pollicitationes spernere potuerit, quemadmodum *Plinius* testatur. (c) Videtur autem id factum *Galen*i auctoritate, quippe qui ita Methodicos excepit, vt istam sectam funditus extirparet, & nemo postea Methodicum se profiteri auderet. Interim ipse *Galenus* plurima solo rerum non naturalium vsu peregit, adeoque non rem ipsam damnauit, sed methodum, & inter alia *Diatricon* illud, quod omnibus sine discrimine aegrotis imperabant, prout id videre licet *Meth. med. Lib. IV. Cap. 4.* Et propterea in *Libro de Theriaca ad Pisonem*, ipse profitetur, *nullum remedium tam efficax esse, quod fructum vllum facere possit, nisi recta victus ratio adhibeatur.* Perperam igitur famae suae & aegrorum saluti consulunt Medici, qui praecepta diaetetica susque deque habentes, quicquid aut effrenis affectuum libido, aut inordinatus appetitus perpetrare, vel ingurgitare aggreditur, aegrotis suis ex seruili adulatione indulgent; Annon vero magis impingant, qui ex inscitia omnibus promiscue eundem victum nimis imperiose praescribunt, cuiuslibet harum rerum gnaro iudicandum relinquo. Praeterquam enim quod hoc ineptum, & multis aegrotis non potest non esse damnosum, etiam manifesto in artis ignominiam redundat. Certe haec ratio est, quod multi ex vulgo non amplius curant praecepta Medicorum diaetetica, dicendo: Die Herren

(a) Lib. I. Cap. I. (b) Tacitus Annal. Lib. V. (c) Hist. Nat. Lib. VII. Cap. 37. & Lib. XXVI. Cap. 3.



Herren Doctores recommendireten was sie selbst gerne möchten, darüm ordonnirte der eine seinen Patienten Thée, der andere Caffée, der dritte warm Bier, der vierdte ein Glas Wein. Tantam igitur rem non adeo negligenter agere deceet: nam vt plurimi sine Medico, solo convenienti vitae regimine ex morbis saepe emergunt, sic contra nihil vtilitatis afferet Medicus, si quotidie in diaeteticis peccatur. Itaque operae pretium me facturum existimaui, si argumentum istud de Diaeta aegrotantium, speciminis inauguralis loco explicandum mihi sumerem: Non equidem eo animo, vt ad veterum morem hoc agerem, & quae olim commendata habuere, sollicite exquirerem. Praeterquam enim quod impossibile forte sit, certum aliquod systema Diaeteticum ex ipsorum Scriptis colligere, frustraneum etiam id foret, cum non omnia genio, regioni & moribus nostris conueniant. Praeterea non omnes & singulos morbos, quibus C. H. affici potest, recensere, diaetamque in iis conuenientem praescribere temporis ratio & dissertationis limites permittunt. Itaque hoc tantummodo ago, ut in primariis quibusdam & maxime occurrentibus affectibus, regimen circa vsum sex Rerum Non-naturalium exponam, & exemplo duntaxat praeceam, quo forte aliorum, qui in his plenius versati sunt, diligentiam prouocarem.

Quemadmodum autem in Therapeuticis omnis medendi methodus communiter dispesci solet, in generalem & specialem; Vbi quidem specialis circa hos vel illos morbos, eorum indicationes & peculiaria iisdem appropriata remedia occupata est, generalis autem, morbos in genere omnemque morbosum statum scrutatur, & quid pluribus morbis sub eodem genere comprehensis conueniat, ostendit: Ita & ego, dum in diaetae explicatione, quatenus ad morborum medelam faciat, verfor, vltimae huic sive generaliori methodo insistendo, morbos pro diuersitate causarum, aut indolis, in Classes dispescam, & quidem melioris doctrinae gratia, vt & isti, qui in Arte alias versati non sunt, eo facilius veritatem argumenti assequantur.



# CLASSIS PRIMA.

*Morborum, in quibus motus sanguinis  
praeter naturam auctus est.*

## §. I.

**N**emo non agnoscit, per istos morbos a nobis intelligi febres omnis generis, tum continuas, tum intermittentes. Nolumus autem iam inquirere, quid sit febris, aut ex quibus causis, an materialibus, an vero spiritualibus ista oriatur, an re vera morbus sit, an Conatus naturae siue Animae Rationalis in bonum finem, (quod dogma, cui *Campanella* olim ansam dedit, a *Cel. Stablio* resuscitatum) cum Pathologiam non scribere animus sit, sed quomodo febres prudenti rerum ad vitam necessariorum regimine feliciter sint exstirpandae. Hoc autem non ex eiusmodi hypothesebus fuit; sed potius ex diligenti observatione illarum rerum, quae vel cum salutari eventu toties in usum vocatae sunt, vel non sine damno aegrotis conceduntur. Quemadmodum id iam olim aduertit *Hippocrates*. (d) Praeterea & ipsas febres inter se differre observamus, ut aliae sint Intermittentes, aliae Continuae, & ex his aliae Idiopathicae, aliae Symptomaticae, ut Inflammatoriae, Hecticae &c. adeoque pro diuersa sua indole, aut pro diuersitate partis affectae, victum vel maiori circumspectione esse praescribendum, vel in his indulgeri posse, quae in aliis non sine damno conceduntur, dudum Experientia compertum est. In genere autem in omnibus attendendus venit motus humorum & calor corporis praeter naturaliter auctus, adeoque in omnibus talia conuenire, quae & motum temperant, & calorem moderantur, ipsa etiam Ratio statim euincit.

§. II. Primo autem in scenam prodeant *FEBRES CONTINUAE ACUTAE*, cum benignae, tum malignae, intra 7, 9, 11 aut 14 dierum spatium ad finem decurrentes, quamuis benignae

---

(d) Latissime ac generaliter de hoc argumento egit, per integrum librum de Veteri Medicina.



nignae nonnunquam quinto die in quibusdam subiectis terminentur, qualia exempla in Cholericis aliquot habuit Excell. DN. PRÆSES. In hisce omnibus obseruamus appetitum adeo prostratum, vt ab omnibus esculentis generaliter abhorreant; Sitis contra perpetuus harum comes est, lingua arida & scabra, adeoque natura sponte nobis hic indicat, quid agendum. Nam vt ineptum foret, inuito & nauseanti stomacho obtrudere alimenta, sic contra inhumanum, aridis faucibus, & visceribus aestuantibus potulenta denegare diluentia, ac refrigerantia. Accedit, quod febres istae communiter terminari solent largissimo sudore, qui tamen plerumque frustra expectatur, nisi fauienti calori, internum humidum depascenti, frenum quasi iniiciamus, aut ab extra quod deficit restituamus. Igitur detestandus est mos quorundam Practicorum, qui in febribus siticulosis omnimodam a potu abstinentioniam inuiolabili lege praescribere, aut saltem admodum parce potulentorum vsum concedere solent; Quo ipso sane aegros aliquando ita torquent, vt vel prostratis viribus morbum sustinere non valeant, vel ex simplicibus inflammatorias excitent, vel breui funestas, aut in lentas & hecticas degenerantes. Longe prudentiores in hoc negotio Veteres, in omnibus acutis tenuissimum victum praescribere; tenuis autem ipsis erat, potus aquarum, in quibus nihil alimenti solidi inerat. Interim & hic ipse victus suos gradus habebat, vt pro violentia morbi, vel extreme tenuis esset, vt est aqua fontana, per se in vsum vocata, optimum sane in acutis potulenti genus; (e) vel tenuis, vt oxymel, mulsa, iuscula carniū, ptisana colata; Vel denique plenior, forbillatio dicta, ut ptisana integra, panatella, &c. (f) Merito ergo hac in re Medicus quilibet rationalis veterum vestigia premit, atque omnem lapidem mouet, quo sitis illa morbofa, & interdum clamosa, demulceri, placari atque extinguere

(e) Hinc Theologus quidam Anglus tanquam Febrifugium vniuersale, peculiari libello, aquam frigidam celebravit. *sub tit.* Febrifugum magnum, or commun. Water the best Cure for the Feavres &c. (f) Vid. de his Septalius Lib. II. Animadu. & Caut. Med. §. 38.



tingui queat. Quamobrem apprime conuenit aqua fontana, vel simplex vel decocta, cum integro citro, & paullo Sacchari edulcorata, quae frigefacta concedi potest, cauendo tamen a subitanea & copiosa eius ingurgitatione. Magis vero tutus est aquae calidae potus, ex infuso herbae Thée, quippe qui in copia assumptus transpirationis negotium faciliat; promptissime sitim extinguit, & magnam impuritatum copiam per vrinam educit. Cum autem aegroti rarissime ultra vnum diem eodem potulenti genere delectentur, necesse est, vt Medicus alia in promptu habeat, ni tortoris potius quam Medici gratiosi vices agere velit. Itaque in hunc quoque censum venit *serum lactis*, potus medicamentosus admodum salutaris, subrefrigerat enim, humectat, attenuat, abstergit, ac quadam quasi nitrositate bilem & acriores humores temperat, viscerumque & vasorum obstructions tollit, prouti laudatur a *Conr. Barth. Bachrens in Selectis Diaetet. p. 196.* Decoctum cerarum quoque & iucundum & salubrem potum febricitantibus praebet.

§. III. Qui vero cereuisiae nimis assuefacti ab ea abstinere renuunt, iis cereuisia secundaria, calide tamen assumenda, concedi potest. Huic, quando aegrotis porrigitur, frustulum panis iniicere iamdudum mos obtinuit, neque negandum, hoc multum ad vires conseruandas conferre. Interim, pro hoc fine praestantissimum est Decoctum Hord. c. C. C. & Scorzonera, quod in omnibus fere morbis loco potus ordinarii commendare solebat Excell. TEICHMEYERVS, Medicinae in Academia Ienenfi Professor Celeberrimus, Praeceptor meus nunquam sine laude nominandus. Huic pro re nata addi possunt Fl. 4. cordiales, Cerasa exsiccata, Berberes, Sem. anisi foenic. glycirrh. &c. c. pomo Citri, aurant: imprimis recentium, & sic potus gratissimus emerget. Pertinet huc quoque decoctum e crusta panis, vel sequens Illustris SCHAPERI *τὸ μακρόν*,: Recip. Mic. panis albiss. ῥίβ, Rasur. C. C. ῥίβ. Sem. Cidon. Scrup. j c. f. q. Aqu. font. Coqu. ad Colat. Lib. j & dimid. adde Aqu. Cinnamom. f. Drachm ij M. quod virtute refrigerante & confortante egregia gaudet. | Qui autem  
aroma-



aromaticis istis minus delectantur aegroti, illi decoctum C. C. extemporanea additione acidi Citri, vel aquae Ceraforum, ad palatum conficere possunt, Saccharo, aut Syrupo Violarum edulcorandum. Huc pertinent iuscula tenuiora ex animalium carnibus elixis parata, vt vitulorum, gallinarum &c. ab omni pinguedine sedulo depurata, & parca manu salita, nam vt moderata Salis additio Vrinae excretionem cum materia morbifica promouet, sic nimius eius vsus aestum auget, & maiorem sitim excitat; Interim eo magis haec iuscula commendanda, quoniam calide in vsum vocari postulant, non tamen istis, qui a talibus abhorrent, inuito stomacho obtrudenda sunt. Circa declinationem febrium, die septimo & sequentibus, imprimis si vires deficiunt, quod ex pulsu debili potissimum aestimandum, magis saturata horum sorbillatio conducit, cum plantis consuetis culinariis porro, scordio, apio, petroselino, condita. Nec minus commendari merentur Emulsionem ex sem. 4. frig. & Amygd. paratae, sufficienter Saccharata & aqua quadam destillata gratiores redditae, praepriis istis, qui integras noctes insomnes ducunt.

§. IV. Qui autem haec omnia fastidiunt iis concedi potest *Limonada* ex vino & aqua c. Cort. & Succo Citri atque pauco Sacchari parata. Immo nulli dubitamus, ipsum *vinum Rhenanum* vel *Mosellanum* in febribus, praecipue malignis, iisque quam maxime subiectis, praescribere, quae alias in statu sano diaetae vinosae assueta fuere. Et licet nos minime fugiat multorum Practicorum sententia, in huiusmodi morbis omnem vini vsum cane & angue peius fugiendum esse, suffragantem tamen habemus experientiam, & testimonia Virorum omni exceptione maiorum. Ex quibus instar omnium adducere iuuat Viri de arte nostra immortaliter meriti, & Medicorum huius saeculi facile Principis, Illustris FRID. HOFFMANNI (g): *In febribus, inquit, malignis, vino nihil datur excellentius; malignitas dignoscitur ex motuum & virium defectu, nec non valde depressa sanguinis Spirituascencia, ex tanto circulo eiusdem, quae cuncta dispositionem*

(g) in Diff. de natura & praestantia Vini Rhenani in Medicina, Halae 1703. hab. p. 48.



tionem quandam cruoris ad putredinem designant : Igitur in iis morbis restaurare vires, spiritus erigere, circulum sanguinis liberum reddere, transpirationem promouere expedit : Et in eo versatur omnis alexipharmacorum virtus. Quod autem vinum haec omnia praestet, nolumus pluribus auctoritatibus, quibus Practicorum libri pleni sunt, confirmare, sed confugimus ad solam experientiam, qua nobis constat, plures ex malignis euasisse solo vini moderato usu. (h) In veritatis huius confirmationem, obseruationem lectu dignissimam litteris consignauit Acoluthus, Medicus Vratislauenſis (i) de aegro febris maligna correpto & iam pro desperato habito, qui solo vini Rhenani potu ex orci faucibus ereptus fuit. Similis fere Casus Excellentissimo Domino PRÆSIDI meo in praxi sua obtigit, quem ab eius beneuolentia mihi communicatum, non possum non huc inferre, & in maiorem dictorum illustrationem referre. Scilicet Praefectus equitum, habitu corporis vasto & succi pleno, vini potui deditus, postquam correptus esset febre ardente, valitudinem suam concredit Chirurgo Castrenſi. Sexto morbi die, circa vesperam, aduocatus D. PRAESES, reperit aegrotum misere decumbentem, nam vix vestigium pulsus in carpiſ obseruari poterat, lingua squalida & fusca, animus vero ita abiectus, vt nec verbum quidem ad interrogata proferret. Chirurgus interim qui praesens aderat, summam istam virium prostrationem adscribebat abstinentiae ab omnibus potulentis, quippe quae, quacunque ratione praeparata, non sine nausea ac fastidio ori admouere posset. Iubet itaque D. PRAESES, vt limonada ex vini Rhenani & aquae aequalibus partibus conficiatur, Saccharo & pomis Citriis ad gratiam condita, praecepit tamen, vt non auide nimis potum ingurgitaret, sed forbillando saepius siticulosos fauces irrigaret. Post discessum D. PRAESIDIS aeger poculum, duas mensuras capiens, sibi afferri curat, illudque vino Rhenano replet, non tamen aqua temperato, sed Saccharo & limoniis ad

(h) Idem sentit Cel. BOHNIVS in aureo de officio Medici libro p. 373. & 398. Conf. Baehrens Sel. Diaet. p. 542. seqq. Lentilii Misc. Med. Pract. P. I. p. 150.

(i) in Misc. N. C. D. II. A. 4. obs. 169. conf. A. 6. obs. 20.



ad gratiam compositò, illudque intra paucas horas, pitissando, tamen, exhaurit; postea obdormiscens, largissimum experitur, sudorem, quem subsequenti mane potu Thée promouet, cum plenaria febris solutione. Non tamen promiscue, nec sub initium in continuis vinum suademus, sed circa exitum morbi, & quidem tum demum, cum vires prostratae sunt, & natura ita succumbit, vt morbi extirpationi non sufficiat, in qua re diligentissimum Sydenhamium consentientem habemus, & certam febris, in qua Vinum maxime profuit, Epidemicae verminosae malignae, speciem refert Acutissimus Baglius. p. 710.

§. V. Postquam autem febris iam deferbuit, ac per criticam materiae exclusionem est soluta, plenior victus concedi potest, non tamen statim quo sani vtuntur, sed qualis conualescentium esse solet, vt sunt iuscula carniū magis saturata, cum bolis ex carne vitulina & cancrorum parandis. Item decocta hordeacea, auenacea, spissioris consistentiae, c. passulis Cort. Citri aut Cinnamomi condita, quae primo post morbum triduo aut saepe diutius pro aegroti conditione sufficiunt. Non enim statim solidioribus natura obruenda cibus, cum per experientiam constet, eos qui in victu statim excedunt, recidivas pati aut longam imbecillitatem contrahere. Hinc Hippocr. 2. Aph. 8.: Si a morbo cibum capiens vires non recipiat, uberiori alimento corpus frui indicat. Et 2. Aph. 10: Impura corpora quo plus nutrias eo magis laedes. Itaque non subito a tenui victu ad repletionem transeundum. Omnis enim subitanea mutatio periculosa: Tutius ergo emergunt qui lente festinant. Quod si tamen appetitus in consueta fertur, & alia, quae magis salutaria sunt, pertinaciter respuit, concedendum desiderio infirmorum, iuxta Hippocratem 2. Aph. 38. Paulo deterior & Potus & Cibus, iucundior autem, eligendus potius, quam meliores quidem, sed ingratiore. Melius enim est insalubribus vires corporis conservare, quam inedia penitus destruere. Prospiciendum tamen, nequid nimis.

§. VI. Sed nonnunquam ex febribus Ardentibus emergentes exulcerationem pharyngis & faucium experiuntur, ita  
B vt



ut nec alimenta commode deglutire, nec ob saporem nauseosum quem sanies & vlcuscula suppeditant, admittere possint; In hoc casu iam olim Medici excogitarunt *Clysteres nutritios*, quos tamen non omnes approbant, dum nullam corporis nutritionem, nisi praegressa in ventriculo digestionem, fieri, contendunt, Clysteres autem non ultra crassa intestina ascendere, propter valuulam coli, adeoque liquores iniectos non ad vasa lactea, nec per consequens ad massam sanguineam deferri posse. Haec & alia dubia erudite discussit Excell. D. FICKIVS in Diss. de *Clysteribus Nutritiis* suamque sententiam affirmativam variis testimoniis & exemplis corroboravit. Et licet obstare videatur valuula Coli, quo minus ad intestina tenuia, & sic porro ad Lactea penetrent Clysteres; cur tamen iniectus liquor nutritius per alias vias in Sanguinem penetrare nequeat, nullam videmus rationem. Adsunt enim in Intestino Colo vasa lymphatica, & quidem satis insignia, quae necessario humorem Lymphaticum ex Intestino educunt, & in sanguinem devehunt; Lympha autem gelatinosa existit, & corpus gelatinosis alitur. Itaque Clysteres ex iusculis carniū, vel decocto C. C. parati, nullam digestionem aut praeparationem in Ventriculo postulant, sed nutritium humorem immediate suppeditant. Exemplum certe Virginis, quae post debellatum morbum Clysteres iniectos non reddebat, haud exinde laesae, sed magis roboratae, Excell. Dn. PRAESES adhuc nupere habuit. Conf. Heisteri Chirurg. pag. 761. edit. Sec. Hoc autem circa illud negotium aduertendum, an aegri retineant eiusmodi Clysteres an minus? Si enim natura eos statim reddit, & iis irritata, plus humoris excernit quam iniectum fuerat, necessario vires aegroti magis prosteruntur.

§. VII. Quoniam autem Febres omnes continuae mediante transpiratione & Critica sudoris exclusionem communiter terminantur, facile apparet, AERIS temperiem & iustum ipsius moderamen Medicis inter reliquum sex Rerum Nonnaturalium usum sedulo esse attendendum. Decumbat ergo aeger in loco moderate calido ab omni aëcis iniuria ac intemperie libero. Adeoque frigidus aer, tanquam infensissimus transpirationis hostis



hostis, corrigatur foco luculento aut blando fornacum calore. Cavendum tamen etiam, ne in contrarium peccetur: nimius enim conclavium calor maiorem aestum, anxietatem praecordiorum, congestiones versus caput, & deliria concitat; Quo pertinet pessima consuetudo, qua stragulis obruunt & fere suffocant febricitantes aut sudores intempestivos concitant sine levamine aegroti. Nec tamen iste male tectus iaceat, nec etiam per vices corpus, imprimis pedes, denudet, neque brachia super caput protendat, sed quietus se teneat, ne forte natura, in excretionis halituosae negotio occupata, intempestiva artuum aut corporis refrigeratione impediatur: Nunquam certe tuto ex febribus eluctantur, qui in hac re monitis Medicorum minus obsequuntur.

§. VIII. ANIMI PATHEMATATA semper moderata sint, nihilque magis curae cordique habeant adstantes, quam ut omnis omnino occasio praescindatur, quae vel metum vel tristitiam aut denique terrorem aegroto incutere possit. Dici vix potest, quam noxii illi affectus sint in morbis acutis, praesertim si circa diem criticum accendant: Criticos namque sive salutare naturae conatus non tantum sufflaminant, sed saepe mortem subitanam inducunt. Gaudium contra & spes, quae ex fiducia aegri erga Medicum consequuntur, dimidium curationis absoluunt; Natura enim nullis curis turbata, actus vitales ac depuratorios feliciter exsequitur. Praeterea haec fiducia aegrum praeceptis Medici magis obsequentem reddit, ne forte ipse quid agat, aut delinquat, sibi damnosum aut saepe funestum. Male itaque cum istis agitur, quibus inuitis a parentibus aut cognatis obtruditur Medicus, cuius vultum perferre nequeunt aegroti, nullamque eius consiliis fidem adhibent, continua enim illa sollicitudo, qua de vita animus desperat, mortem eo citius accelerat. Contra conscientiam ergo agunt cum agnati, tum ipsi Medici, qui inuitis mederi postulant. Quemadmodum autem fiducia in Medicum multum momenti ad sanitatem affert, sic diuturnitatem morbi & molestias optime fallunt *amicorum visitantium confabulationes*; sed eligendi tales, qui prudenter animum aegroti moderari no-



runt. *Mulierculae* vero imprudentiores ac nimium loquaces arceantur; Nunquam enim desinunt istae ineptire, & animi aegroti irritare insulsis suis de morbo iudiciis, ac narrationibus intempestivis, quas afferunt, quid huic vel isti eodem affectu decumbenti superuenerit mali, & quam misere tandem perierit. Nihil enim citius aegrum pessundat, & mortem accelerat, quam cum iste penitus de rebus suis desperat, aut graviora mala metuit. Sic adhuc nupere *puerpera quaedam conquerebatur*, sibi nihil magis molestum esse, quam inepta quarundam commiseratio, siue ficta, siue vera, cum toties audire cogeretur: Ach was sieht Sie elend aus! Sollte Sie wol hiedurch kommen? &c. Contra vero nihil est quod plus ad sanitatem confert, quam animus oratione sacerdotis & mediis Ecclesiae salutiferis confirmatus, ita ut mundum despiciat, & instantem mortem, tanquam aditum ad beatas fedes, auide exspectet. Sed haec Theologorum sunt, qui animae curam gerunt, ideoque ea tantum attigisse nobis sufficiat.

§. IX. SOMNUS quemadmodum praecipuum curarum folatium existit, sic febricitantibus mirum quantum conducit, quo sua mala minus impatienter ferant, & natura excretionem materiae morbificae per poros cutaneos eo felicius peragat. Non tamen Opiatis promouendus ille, sed humectantibus & refrigerantibus, ut sunt *Emulsiones ex Sem. 4. frig. & amygdalis* paratae. In hunc finem praestat etiam ipsum aerem si nimis ficcus & calidus fuerit, temperare exhalationibus fragrantibus florum, aut pauimentum *Aqua rosar.* irrigare.

§. X. Reliquae EXCRETIONES naturales, ut sollicite attendantur, necesse non est. Nam vrina plerumque in febribus sponte succedit; Aluus autem, licet suppressa sit, non sollicitanda, nisi turgeat materia, ut *Hippocrates* iam monuit. 4. Aph. 10., plerumque autem non turget. Quodsi vero euacuatio requiritur, minime purgantia calida in auxilium vocari debent, sufficit *Clyster. emolliens*; aut si in ventriculo humor corruptus haeret, *aquae tepidae potu* vomitum procurare. Diarrhoea tamen nunquam temere sistenda, imprimis si Critici aliquid subest, si autem modum excesserit, & periculum



lum portendat, cum virium summa prostratione & torminibus coniuncta, medelam omnino postulat, non adstringentibus tamen sistenda, sed demulcentibus, acrimoniam inuiscantibus, & restaurandi virtute pollentibus, ut decocto C.C. ptisana &c. item oleosis vt  $\circ$ . Oliuar. vel amygdalor. recenter expresso, quae facile cum vitello ouorum & paullo Sacchari in emulsionis formam reduci possunt, vt & palato magis grata reddantur, & virium restitutioni inferuiant. Aeger vero caueat, ne corpus, quoties aliud exoneranda, frigori exponat, vnde ne lectum deferere teneatur, loco sellae perforatae, *patina* huic negotio accommodata praesto sit, eique decumbenti supponatur. SANGVINIS eductio cum itidem ad regimen rerum non-naturalium pertineat, non penitus silentio est inuoluenda; sed haec ipsa in malignis plerumque funesta est, imo & in benignis, nisi statim prima die institui potest, tutius omittitur.

§. XI. Progressum iam facimus ad alia FEBRIVM acutarum genera EXANTHEMATICAS nimirum & INFLAMMATORIAS. Vbi primo loco se sistunt morbi isti vniuersales, qui nulli fere mortalium parcere solent, VARIOLAE scilicet ac MORBILLI. In his quidem eadem propemodum, ratione *potulentorum*, obseruanda erunt. Notari tamen velimus de morbillis, *acida* & *potum frigidum* in iis exulare debere, nam communiter morbilli, iam exantlata febre, morbos pectoris relinquunt, ipsis morbillis grauiores & magis funestos. Praestabit ergo hic *potus moderate calidus*, vel ex *ptisana* quadam, vel ex *cereuisia tenui*. In variolis vero frigidior paulo potum concedere haud abs re erit, quandoquidem actu calida maiorem circa fauces & pharyngem variolarum copiam proliciunt, quo ipso morbi vis adeo exacerbatur, vt interdum suffocati intereant aegroti. Postquam autem exclusio variolarum est facta, potum tepidum adhibere praestat, vtpote magis tutum, & maturationi variolarum in faucibus magis aptum. Quodsi interim suffocationis metus forte contingat, concedendum aliquid *spiritus vini c. tantillo Syr. Violar.* Ceterum tanquam omnium conuenientissimus in variolis aequae ac morbillis potus a SYDENHAMIO aequae ac recentiori Obserua-



tionum Scriptore diligentissimo, PELARGO, laudatur *cereuisia* *secundaria* (Rosent.) imprimis cum huius vsu Saliuatio, in confluentibus adeo necessaria, promoueatur, prout idem illud confirmat Clar. FICKIUS *Diss. de salubri frigido potu*. Ante variarum eruptionem *Spirituosa* quaeuis & *calefacientia* vitanda sunt, quoniam maiorem ebullitionem in sanguine excitant, & loco variolarum discretarum, confluentes & malignas eas reddunt. Natura enim sponte excretionem istam pustularem instituit, adeoque calidis, e. g. *vino rubro*, vt hic moris est, non anticipandi motus eius excretorii, antequam materia ad exclusionem apta sit. Namque si nimium concitata fuerit natura, breui vires suas exhaurit & in ipso opere postmodum fatiscit. Concidunt ergo pustulae, & virus de nouo Sanguini commiscetur, vnde mors pressa pede subsequitur. Instante tamen maturatione, vbi particulae purulentae in sanguinis massam regurgitantes eandem inquinaverint, non incongruum erit cochlear vnum aut alterum *vini rubri* mane & vespere aegroto propinare, iudice SYDENHAMIO, qui & *Vino Canariensi* vsus est. Quod ad CIBVM attinet, a *carnibus*, durante morbo, aegrum omnino arcendum esse, Scriptor modo laudatus iudicat. Febre autem exantlata, paullo liberius genio suo aegris indulgere licebit, cautissime tamen semper obseruent regulam: Ne quid nimis. Probe interim vitanda sunt, quae *Diarrhoeam* excitare queunt? Concidunt namque exinde variolae & funestae fiunt. Sunt autem talia *fructus horraei* crudi comesti, frixi enim aut decocti concedi possunt. Sic etiam ex potulentis vitetur *cereuisia recens nondum defaecata*. Vbi non possum non quam maxime improbare peruersam nostratum consuetudinem, qui *cereuisiam* recentem & adhuc fermentantem sine discrimine aegrotantibus, etiam variolosis concedunt. Nam quoniam facile diarrhoeam excitat, in variolis aequae ac aliis febribus, quibus infestus est alui fluxus, nectar illud lupulatum nunquam tuto propinatur.

§. XII. Quod ad AEREM ambientem spectat, frigidus quidem vitandus est. Non tamen statim lecto addicendi aegroti, multo minus stragulorum multitudinem aggrauandi sunt,



sunt, sed secundum monita Celeberr. SYDENHAMII ac BAGLIVI liberum illis relinquatur, quoties voluerint, ut ab hac in illam lecti partem se recipiant, quo praepediri possint sudores isti Symptomatici maxime nociui, utque praecaueatur efferatior exanthematum eruptio. Vult quoque SYDENHAMIVS, ut variolis correpti, tempore aestiuo & Syrio quam maxime vrente, primis quatuor diebus pro lubitu *extra lectum degant*, ea tamen lege, ut tam loco quam vestitu frigoris incommoda praecaueantur. Hinc rusticorum pueri, qui negligentius habentur, plerumque felicius variolas superant. Habent etiam aliqui eam consuetudinem, ut *rubra peristroma* aegrotis obuertant, aut lecto insternant, ad maturandam variolarum eruptionem. Id quod tamen maxime improbandum iudicamus, cum nullus color oculis magis officiat, quam rubicundus, ita ut continuus in eum obtutus non solum dolorem afferat, sed etiam maiorem humorum affluxum ad oculos proliceat, quod sine coecitatis periculo fieri nequit. Videatur interim hac de re *Clariss. ADOLPHI, Medici Lipsiensis, Diss. de Aegrorum Conclavi.*

S. XIII. *Febres reliquae quae particularem cuiusdam partis inflammationem concomitantur*, omnes symptomaticae sunt, adeoque, ratione ebullitionis & ardoris quem in sanguine excitant, omnia quidem illa postulant, quae supra a nobis in febribus ardentibus commendata sunt, ut aestus & ebullitio Sanguinis temperetur. Sed praecipua habenda est ratio ipsius partis, in qua inflammatio haeret. Pro huius enim diuersitate quaedam illorum non sine damno possunt propinari. Sic e.g. partes membranaceae item viscera inflammatione correpta non commode ferunt *acida*, nec *actu frigida*, adeoque in *Pleuritide, Peripneumonia, Nephritide* vera seu renum inflammatione ab iis abstinendum erit. Sic ipsae emulsiones melius conferunt, si quaelibet dosis aegroti propinanda, prius incalasciat in poculo aurato. Vnde quoque medicamenta & ex iis imprimis decocta, felicius operari, si feruida exhibeantur, obseruant Cel. BAGLIVIVS, *Prax. Med. Lib. I. Cap. 9.* Frigida enim, actu talia, inanes sufflendi conatus excitant in pleuriticis, & fibras membranaceas stringunt, ut id quod in ijs ha-



haeret difficiliter dimittant, unde dolor augetur, atque expectorationis negotium minus promte succedit. Idem ergo in Arthritide cum vaga tum fixa obseruandum erit.

§. XIV. Vt autem inflammationes viscerum interne actu calida postulant, sic, quod temperiem EXTERNI AERIS attinet, a frigore aegri defendendi sunt. Non tamen propterea necesse est actu calidis (e. g. in pleuritide) latus affectum fouere, calida enim externe admota naturam sollicitant, vt sanguinem ad partem, in qua actualis calor, copiosius propellat, id quod sane sine damno fieri nequit. Itaque *Experientissimus PRAESES* pleuriticis magis salutare obseruat, si pedes blando calore continuo foueantur. *Logena flannea aqua calida repleta*; Auocatur enim sic impetus humorum a pectore versus pedes, & sic non tantum lateris dolor mitigatur, & tussis rarius infestat, sed expectorationis quoque negotium magis promte succedit. Contra vero, quando aegroti pedes exferunt & frigori exponunt, non tantum maiores congestiones sanguinis fiunt ad pectus, atque tussendi conatus frequentes & saepe inanes succedunt, sed doloris etiam exacerbatio consequitur, immo nonnunquam expectoratio de nouo redditur cruenta. Atque haec ratio est, quod vesicatoria, Suris admota, tam subitanam & salutarem opem praestant in pectoris affectibus inflammatoriis, auocando nempe sanguinis impetum versus inferiora.

§. XV. Reliqua quae circa ANIMI AFFECTVS & QUIETVM CORPORIS IN LECTO SITVM superius in febribus continuis monuimus, in hisce pariter obseruanda sunt. Certe etiam post transactum morbum praestat adhuc aliquot dies in lecto commorari, donec cibus successiue magis confirmatum sit corpus; id quod non minus in externis partium inflammationibus erysipelaceis, non tam ratione quietis, quam quidem aeris ambientis, tenendum est. Qui autem hoc negligunt, nec monitis Medicorum morem gerunt, saepe tumores oedematosos, praecipue si in pedibus erysipelas fuit, reportant, postea admodum difficulter dissipandos, id quod non sine damno in se experta adhuc nuper est *Matrona*, quae,



ob intempestiuam ac praematuram lecti desertionem, pedis tumorem oedematofum reportauit, & adhuc eum magno cum incommodo perfert.

§. XVI. EXCERNENDA quod attinet, Sanguinis eductio statim sub initium salutariter instituitur, sed si Medicus tertio aut quarto die aduocatur, cum Natura iam in maturationis negotio occupata est, tutius V. S. nem intermittit. *In pectoris inflammationibus* alius non est sollicitanda, nisi forte ex praegressis obstructionibus & faecum ac flatuum copia aeger male habeat, in quo casu *Clystere emolliente* res peragi potest. Alui fluxus enim & diarrhoeae *in pleuritide* plerumque funestae sunt, & propterea BAGLIVVS scribit: *Medicos qui purgant in pleuritide, teneri Lege Aquilia.* (k) Contra in Nephritide & Arthritide vaga non tantum Clysteres tuto applicantur, sed & mira *Salis Ebsoniensis* virtus ad compescendos huius generis dolores, ab Excell. Dn. PRAESIDE obseruata est.

§. XVII. Febres HECTICAE, LENTAE (ad quas etiam ipsa PHTHISIS pertinet) ex putredine vel in primis viis haerente, vel vlcerosa partium, originem ducentes, quamuis Symptomaticae sint, tamen ob depascentem calorem requirunt *viatum humectantem*, & qui in parua quantitate multum nutrit. Et circa *Potulenta* quidem eadem obseruanda sunt, quae mox circa inflammatorias §. XIV. monuimus, vt non opus sit horum repetitione lectori nauseam creare, i. e. *acida* vitentur & actu frigida. Caeterum superius commendatis merito adiungimus, *iuscula carniū, Chocoladam Indicam*, itemque *pultes ex farina secalina*, vtpote quae omnia acrimoniam humorum inuoluunt, corrigunt, & chylum maxime laudabilem suppeditant. Sed neque *solida alimenta* in hisce affectibus deneganda sunt, neque delectus eorum nimis sollicitè seruandus, modo acribus, aromaticis aut acidis non sint condita. Ex piscibus optimi sunt *canceri fluuiatiles, cochleae*, & imprimis *Ostreae*, iam Romanis in deliciis habitae. Moderatus tamen harum vsus sit, necesse est, ac praestat eas cum paullo butyri

C

frixas,

(k) Prax. Med. Lib. II. Cap. IV. §. I.



frixas, quam crudas frigidasque in vsum vocare: Interim & crudas palato ægroti non denegandas esse, Pulpus observauit. (l)

§. XIIII. Præ ceteris vero in huius generis morbis laudem meretur DIAETA LACTEA, in arthritide & podagra alias decantata, & plenius peculiari tractatu descripta a DO-LAEO, (m) vbi etiam monita circa eius vsum observanda legi possunt. Certe hoc ipso remedio Phthificos & Hecticos desperatos ex orci faucibus ereptos esse, dudum Practici (n) annotarunt. Omnibus palmam præripit LAC MVLIEBRE, vtpote naturæ nostræ magis familiare, præprimis ex ipsis vberibus factum. Huius vsum se aliquot restitutos vidisse testatur PLATERVS, ex iisque vnum non solum conualuisse, sed etiam tantas vires recepisse, vt, ne lac sibi in posterum deficeret, nutricem de nouo imprægnarit, vti ex eo refert RIVERIVS. (o) Ab hoc proximum est LAC ASININVM, (p) quod, quia serosum admodum est, facile venas penetrat & optime vlcus detergit. Ceterum in ista *tabe* quæ a MORTO-NO *Hypochondriaca* dicitur, Lacticinia minus conducunt. Corruptuntur enim, & præcordiorum anxietates, obstructions, ac maiorem aestum pariunt.

§. XIX. Circa ANIMI PATHEMATATA hectici, Phthifici & tabidi caueant, sibi imprimis ab IRA, pestilentissimo affectu. Omnem quoque *tristitiam* & animi angorem fugiant. Nam vt ira febrem magis accendit & ebullitionem in sanguine auget, sic tristitia humores inspissat, obstructions reddit pertinaciores, vires corporis soluit, appetitum prostermit, & omnes actus vitales imminuit. Animus ergo potius sit tranquillus hilarisque, id quod grato cognatorum & amicorum consortio multum promouetur. Hi vero nunquam vel admirationem, vel dolorem de insigni ægroti macie & Phthifica dispo-

(l) Observat. Medicar. Lib. II. 8. (m) de furia podagrae lacte victa & mitigata. (n) Vid. Eph. N. C. Dec. II. A. I. obs. 121. & A. IV. Obs. 9. (o) Prax. Med. Lib. VII. cap. 7. (p) Vid. omnino Cel. HOFMANNI, Halens. Diff. de Mirabili Lactis Asini in medendo vsum, 1725. hab..



dispositione testentur, sed potius ab eo interrogati, an faciem morbosam prae se ferat, contrarium asserere annitantur, animumque eius, quantum fieri potest, obfirmant: ad quem finem obtinendum MUSICA quoque haud parum confert, de cuius admiranda variis in morbis virtute multas lectu dignissimas observationes collegit MICH. ERN. ETTMULLERVS Diss. de Effectibus Musicae in hominem Lipsiae 1714. hab.

§. XX. Quemadmodum autem in praecedentibus febrium speciebus requiritur, ut aegroti quieti in lecto se contineant, sic contra in Hecticis, modo vires id permittant, MOTVS corporis admodum est salutaris, & quidem GESTATIO, tanquam omnium exercitationum mollissima, hecticis & phthificis quam maxime convenit, infirmis praesertim, quibus iam olim ASCLEPIADES lectos pensiles, ac cunarum motum commendavit. (q) Non enim huius generis hominibus sufficiunt vires, ut saltatione, cursu aut labore, qui robur artuum aut eorum pernecitatem postulat, corpus exerceant. Praeterea adeo proni sunt ad sanguinis ebullitiones, & palpitaciones cordis, ut vix scilicet ascendere aut pernecii gradu incedere possint, quin in tantam praecordiorum anxietatem incidant, quae pene ad suffocationis periculum accedit. VECTIO quoque, immo & EQVITATIO ipsis conducit, non tamen equo succussore utantur, sed potius gradario. Certe quam eximii usus equitatio sit hecticis, immo in tabe tantum non deplorata, luculenter ostendit Experientissimus SYDENHAMIVS (r) qui minime dubitat affirmare, esse equitationem in dictis morbis specificum sine pari, nec Mercurium in lue venerea, neque Corticem peruianum in intermittentibus efficaciores extare, quam hoc exercitium in phthisi. Sic quoque Illustris STAHLIVS equitationem tanquam novum antiphthificum depraedicat. Veteres navigationem in Aegyptum magni faciebant, id quod videre quoque est ex CELSO. (s) Vbi tamen negari non potest, eos mutationem aëris marini humectantis

(q) Mercurial. de arte Gymnast. Lib. IV. Cap. II. (r) in Opusc. Vniu. p. 522. & 788, edit. Lipsiens. Conf. ADOLPHI Diss. de Equitationis Vsu Medico. (s) Lib. III, Cap. 22, & Lib. IV. Cap. 14.



simul respexisse quam etiam *GALENVS* praecepit, qui ad certum maritimum *Tabiarum* locum mittere solebat eos, qui Romae vitio pulmonis contabescebant, ut *aëre isto & lacte* reficerentur. (t) Eo tendit etiam hodierna *Anglorum* consuetudo, qui ubi dispositionem quandam ad hecticam animadverterint, *Monspeliū* concedunt, & cum coelo ac aëre etiam valetudinis mutationem experiuntur. Sed latius de hoc negotio videri poterit *Celeb. HOFFMANNVS Diss. de Peregrinationibus Sanitatis causae instituendis.*

§. XXI. Quibus vero non licet aërem peregrinatione mutare, illis arte subueniendum, ut *BALNEIS* humectentur partes, & arida cutis emolliatur. Non tamen *calida* Hecticis conueniunt, quippe ob exsiccandi virtutem, & quod sanguinem accendunt, iam *GALENI* tempore in defuetudinem fere redacta. *Tepida* ergo in usum vocanda, & quidem vel ex simplici aqua parata, vel cum emollientibus plantis, ut *Mercuriali, Malua, Chamomilla* &c. decocta. Non enim tantummodo haec humiditatem actualem corpori conciliant, sed etiam fibras aridas & coarctatas emolliendo, aptas eas reddunt, ut affluentem cum sanguine nutritium laticem facilius admittant. Praeterea obstructions in glandulis mesenterii referant, adeoque & in tabe hypochondriaca mirificam praestant opem, quemadmodum id in pueris, Rhachitide laborantibus, ventre praetumido sed reliquis partibus Sceleti instar emaciatis & impotentibus, &c. aliquoties expertus est *Dn. PRAESES*. Asclepiadis industriz eo processit, ut & *balnea pensilia ac mobilia* excogitauerit, nam quoniam motus corporis tantum momenti ad sanitatem affert, utrique intentioni simul satisfacit, agitando lauacrum, imprimis cum ex mollissimo & blando aquarum allapsu pleniorē humectationem partes, & plus delectationis experirentur aegroti. (u)

§. XXII. *DIARRHOEAE* Hecticis plerumque fatales existunt, non tamen propterea subito supprimendae. Itaque non aequè purgantibus, sed Clysteribus subueniendum est aegro-

(t) Vid. eius Meth. Med. Libr. V. Conf. *PATINI* Epist. 116. it. *Mercurial.* de arte Gymnastica. (u) *Mercurial. Gymnast. Lib. II. C. 12.*



aegrotis. In tabe tamen hypochondriaca lubricam aluum praestat seruire oleosis, item *Sero lactis cum Manna ac Crem. Tart.* parato. Novit certe virginem Dn. PRAESES, quae cum desperate ex hac tabe decumberet, superueniente largissima diarrhoea, per aliquot dies infestante, contra omnium expectationem plenarie conualuit. SANGVINIS DETRACTIONES quoque Hecticis conducunt, si consuetae quondam excretiones, ut mensium aut haemorrhoidum fluxus vel deficient penitus vel non rite succedant. SEMINIS autem excretionis & exercitium Venereum pestis sunt & certa tabidorum pernicies.

§. XXIII. Restant ex febrium classe INTERMITTENTES dictae. In his non conuenit breui ante accessum alere aegrum, quemadmodum id jam olim recte praeceperant, (v) ob morbi exacerbationem. Itaque melius finito iam paroxysmo cibis offertur. Quod si tamen vires aegroti debiles sint, reficiendus iste, sed, quantum fieri potest, longissime ante accessionem. Multo minus in paroxysmo cibis exhiberi debet, natura enim secretioni & euacuationi materiae febrilis vnice intenta, Chylificationi non sufficit. POTVLENTA tamen in ipso febris accessu aegrotis non deneganda, eaque refrigerandi potentia praedita, actu tamen calida. Conuenientissima ergo sunt *infusum Thee, Veron:* vel etiam *cercuisia* secundaria probe calefacta, quae omnia pro re nata vel tantillo Sacchari gratiora reddi, vel sub aestu & siti vehimentiori, *Sueco Citri* aut *Clyffo Antimon.* acidulari, vel etiam *Nitio* temperari possunt. Post accessum vero etiam *vinum* conducit senibus imprimis ac infirmis, sed tenue *Mosellanicum* aut *Rhenanicum.* (w)

§. XXXIV. Febres tertianae, quae verno tempore contingere solent, omnium optime INEDIA debellantur. Sane si in villo alio, certe in hoc morbo abstinentia plenaria s. die sogennante Hunger. Cur quam maxime locum habet. Patet hinc ratio, ob quam veteres tam seuerè ante paroxysmum febrilem, vel etiam intermissionis tempore, interdiciant victum copiosum. Sic *Asclepiades* & *Methodici Diatriton* illud, siue ieiunium triduanum imperabant, *Diatritarii* inde dicti. CEL-

C 3

SVS

(v) Vid. Celsus. Lib. III. Cap. V. (w) Tulp. Ex vino tenui in tempore dato febricitanti robur & sudor. vid. Monita ipsius.



SVS certe de Asclepiade testatur, *primis diebus tortoris vicem exhibuisse, cum contra ulterioribus diebus cubantis etiam luxuriae subscripserit*, ostendit quoque idem, qua ratione febris quartana abstinencia sanari debeat, Lib. III. Cap. 15. Sed in animo habendum prudentissimum illius monitum Lib. III. Cap. 4. praemissum, *ut aegri vires inspiciat Medicus, ne imbecillum fame perdat*. Quemadmodum enim in lure, ita & in Medicina circumstantiae variant rem, adeoque inedia minime locum habet, si febris ab ipsa fame & fatigatione sub solis aestu oriatur, cuiusmodi exemplum refert GALENVS *Meth. Med. Lib. VIII. c. 6*, & vanam immo noxiam Diatritariorum operam false perstringit. Neq; etiam Senibus plenaria a cibis abstinencia iniungi debet. Licet enim iuxta HIPPOCRATEM I. Aph. 13 *omnium optime & facillime inediam ferant*, hoc tamen de statu eorum naturali & quando integra valetudine gaudent, saltem intelligendum erit. Certe CELSVS genuinus alias Hippocratis Sectator, contrarium plane asserit Lib. I. Cap. 3. In febribus autem inediam Senibus fatalem esse, plus uno exemplo constat. (x) Sic ante paucos annos hic Rostochii Lithotomus & operator ille satis inclutus, HVMMELIVS, sexagesimum quartum aetatis annum agens, aut superans, validus adhuc & succiplenus, cum febrem tertianam, qua correptus erat, fame & abstinencia edomare animum induceret, sit equidem voti sui compos, sed spontaneâ illâ abstinenciâ non vires tantum sed appetitum etiam ita prostrauerat, ut post febrem debellatam, licet vellet, nihil tamen eduliorum admittere posset, ne iuscula quidem auenacea aut emulsionem, tanta aderat nausea. Sola aqua fontana fugientem animam morabatur aliquandiu, quarto tamen post superatam febrem die ad plures abeuntem. Pariter quoque febres autumnales famis impatientissimae sunt, & quia magis diuturnae, ut plurimum, decursus eorum esse solet, uti imprimis de quartana constat, ut alimentis aeger foueatur, requirunt; id quod etiam veteres praecipere. (y) Exulent interim in victu caseus, lac, caro suilla, fructus

---

(x) Nam ipsae Intermittentes Senibus periculosae sunt. Hinc Tulpus in suis monitis: *Ex febre Intermittente non tam frequens iuuenibus, quam senectuti mors*. (y) Hipocr. I. Aph. 4.: *Tenuis & exquisitus victus in longis morbis semper periculosus*.



*fructus boraci crudi, placentae, pinguique omnia, itemque carnes an-*  
*serinae, anatinae.* Eligantur potius quae carnem habent friabi-  
 lem mollem, vt *aves syluestres, pulli Gallinacei, ac Columbini*; Ex  
 quadrupedibus *Lepus & Capreolus*, quippe quorum carnes fa-  
 cile conficiuntur; Sic ex Domesticis *vitulina* commendanda  
 venit, assa tamen potius, quam elixa. Ex piscibus *lucius, trutta*  
*& perca.* Nec *Sale condita* promiscue, vt quorundam mos est,  
 interdicenda sunt, imprimis *baleces* ex Hollandia recenter alla-  
 ti: Certe ex horum vfu permultos subito conualuisse, experi-  
 entia comprobatum est, idem enim quod alias Salia antifebri-  
 lia, incidendo, digerendo, resoluendo, & aperiendo praestant.  
 Quo ipso tamen non hoc volumus, quasi carnes diu Sale in-  
 duratae & exsuccae redditae, aegrotis commendandae sint.  
 Interim indulgendum nonnunquam appetitui eorum, impri-  
 mis circa morbi exitum, si forte ea, quae alias salutaria sunt,  
 summo cum fastidio respuunt. Neque illi qui duro crasso-  
 que victui alias assueti sunt, dietam tenuem perferre que-  
 unt, Hipp. 2. Aph. 50. Sic refert SOLENANDER Sect. V.  
 Conf. 15, n. 16. *Rusticum quendam acutissime febricitantem ad no-*  
*socomium delatum nullis remediis curari potuisse, tandem moribundum*  
*declarasse, se ab alimentis, quae oblata sibi essent, delicatioribus abhorre-*  
*re, pariter ac a Syrupis, & lecto nimis molli; Stramen sibi pro cubili fuisse,*  
*& caseum, cepas ac similia satisfecisse appetitui.* Quibus impetratis,  
*altera die praeter omnium spem & opinionem e lecto surgit, & breui in-*  
*tegre conualescit.* Quale quid alteri febricitanti quoque accidit,  
 de quo videatur idem Auctor l. c. & SALMVTH Cent. III.  
 Obs. 71, qui de alio quodam rustico similem Casum habet.

§. XXV. De MOTV nonnulla quoque hic adicienda  
 erunt, qui vti in variis Chronicis affectibus insignem utili-  
 tatem praestat, ita etiam in febribus intermittentibus & prae-  
 primis *quartana* commendari meretur. Huius enim ope cor-  
 pus perspirabile redditur, meatus aperiuntur, & viscidum in-  
 primis viis, ipsoque sanguine congestum attenuatur, quae  
 praecipue horum affectuum indicationes sunt. Vt veronab  
 AERIS iniuriis humidis frigidisque immunes sint aegroti, im-  
 primis debiliores, optime ipsis conuenire iudicamus *Gestatio-*



*nem in Lectica*, quemadmodum & *Vectiones in carpento fenestrato* commodissimae erunt. Neque tamen vehementiores corporis motiones hic prorsus dissuademus, potius eas robustis & assuetis quam maxime commendatas volumus, modo illa adhibeatur cautio, ut non nisi *coelo sereno* instituantur. Ita *Cursus fortiores* febricitantibus conuenientissimos iudicat GREG. HORSTIVS in *Opp. Med. Exerc. IV.* Et PAVLINVS de se ipso testatur, quod ante febris accessum, postquam cereuicem affatim hauserat, se probe *cursu defatigauerit* ad sudoris usque profusionem, sicque a febre fuisse liberatum. Vid. *Eph. N. G. Dec. II. A. V. Append. p. 21.* Non tamen tenerioris constitutionis personis aut ex morbi iam debilitatis cursus conuenit, ut *Hippocrates* iam obseruauit *Epid. VI. Sect. 3.* Itaque illis suademus potius *pilae lusum* in Sphaeristerio; nam omnis exercitatio, quae cum delectatione instituitur, minus fatigare solet, imprimis cum haec talis sit, ut per vices instituaturs & semper cum aliqua corporis relaxatione interpoletur. Qui vero ne hoc quidem exercitii genus commode ferunt, illis satisfaciet *equitatio*, iam supra a nobis commendata: In cuius rei confirmationem legatur casus notatu dignissimus, ab Illustr. PECH-LINO Obs. 24. descriptus: *febricitantis, qui quartanam indomitam equitatione, & ferocis equi successoriis motibus domauit.* Certe ipse motus febrifugorum operationem faciliat; ut contra sine motu *Cortex Peruvianus* minus prospero successu propinatur. (2) Interim vitetur *aer humidus, frigidus autumnalis, auraque maritima.* Frigus enim febricitantibus ita inimicum est, ut etiam debellato penitus morbo, si nimis mature corpus, antequam alimentis confirmatum sit, frigori in aede sacra aut maritimis locis exponant, novos febrium insultus seu recidivas patiantur. Ultimo loco merito notamus, mutationem AERIS & LOCI in febribus intermittentibus, & praeprimis quartana, tutissimum praebere sanitatis praesidium. Probauit hoc iam exemplo suo SENECA, qui febre laborans recepit se in No-mentanum & ibi fuit sanatus, id quod pereleganter exposuit *Epist. 104.*

§ XXVI.

(2) Vid. Cel. HOFFMANNI *Diss. de Motu optima corporis Medicina* §. 23.



§. XXVI. Inter alia artificia, quae infirmis salutem, Medico confidentiam parant, non vltimum est, illis opportune inducere SOMNVM, inquit Celeb. BOHNIVS, *de officio Medici P. I. Cap. II. p. m. 249.* Et sane, si vnquam, certe in febribus intermittentibus, regimen circa somnum, insignis efficaciae deprehenditur. Saepenumero in praxi sua obseruauit Excell. Dn. PRAESES, quod sola *digestiua* vna aut binis ante paroxysmum horis propinata Febrem subito iugularint, si nimirum ad quietem se componere & somnum capere fategerunt aegroti. Cuius phaenomeni ratio ex SANCTORII Medicina Statica facile addiscitur. Natura enim tempore somni, cum ab animalibus operationibus vacat, Naturales ac Vitales Actus feliciter exsequitur, praepriis vero Depurationis per poros cutaneos negotium, atque sic materia febrili exclusa, paroxysmus praecauetur, & sublata causa, tollitur quoque effectus.

§. XXVII. Quantum interim circa febrium medicationem etiam *affectus* valeant, ex *fiducia aegri in Medicum* cognoscere licet; In Exemplum adducam sequentem Casum a Dn. Praefide mihi communicatum. Centurio quidam tertiana autumnali laborabat: Hic multum *fiduciae* collocabat in puluerem antifebrilem Dni PRAESIDIS, cuius usu se iam olim conualuisse meminerat; Sed ob eius per aliquot dies absentiam, alterius admodum Celebris Medici opem utitur. Hic cum desiderium aegroti intelligeret, aliquot doses de puluere isto, a Pharmacopoeo paratas, aegroti offert. Iste quoque febrifugum secundum praescriptum Medici assumit, sed quoniam dictis fidem non habet, incassum. Redux ex itinere Dn. PRAESES, curae simul admoventur, & circa vespere, cum paroxysmus instaret, ex alterius Medici consilio, Medicamentum in praesentia aegroti, ut animus ipsius eo magis confirmetur, praescribitur. Hic vero assumpto puluere, & animo spe ac fiducia firmato, statim placide obdormiscit; Somnus ad septimam usque matutinam extenditur, sine vlllo febris indicio. Sane qui appropinquantem paroxysmum nimium timent, citius eo corripui in confesso est, nec dubitamus, in iis, qui per aliquot annos febricitarunt, qualia exempla apud SCHENCKIUM, ETTMULLERVM atque alibi plura occurrunt, imaginationem potissimum Symbolum suum contulisse. Huic ergo Timori, ut

D

obuiam



obuiam eatur, profecto nihil vtilius aegris suadere possumus, quam vt versus accessionem paroxysmi, quoties fieri potest, *Somnum* capiant; Sic enim tuto pariter atque iucunde morbus iste curatur.

§. XXIX. Subitaneum & improuisum TERROREM nonnunquam febres curasse, dudum obseruatum est. Ita Illustr. *BOYLEVS* (aa) meminit quartanae contumacissimae, per *terrorem ex gliris praegrandis furioso insultu*, curatae. Idem a *bombardae improuisa explosione*, nec non ab *immersione in aquam* contigisse, recensent Academici Curiosii. Varias hac de re observationes in scriptis suis reliquerunt *PARAEVS*, *ROLFINCIUS*, *BLEGNY*, *PECHLINVS*, aliique. Verum quoniam Terror vehementissimus affectus est, qui oeconomiam corporis insigniter laedit, ita ut non solum morbos varios, sed ipsam mortem saepe producat, vti practitorum testantur obseruationes (b) hinc tutius ab ipso abstinetur, cum remedium sit, grauius morbo ipso.

§. XXIX. Ad *EXCRETIONVM* genera, si *balituosum* illud, quod per poros cutaneos eliminandum, exceperis, non necesse est vt admodum attendat Medicus. *Purgantia* febres non tollunt, sed consopitas potius resuscitant. Quod si tamen alius sollicitanda, *Clysteribus* id melius peragitur, & quidem in diutioribus *ex Chinae Chinae decocto* parandis, quos solitarie sufficere ad febrium intermittantium extirpationem, *HELVETIVS* peculiari libello docuit. Nescio autem annon prima inuentio debeatur Celeb. *BAGLIVO*, qui hoc experimentum primus instituit salutari euentu. *Vid. Prax. Lib. I. Cap. 13. §. 13. §. 9.* Ad hanc imitationem in egenis possent iniici *Clysteres ex decocto Corticum fraxini* paratae. *Sanguinis* eductio Intermittentibus penitus non conuenit. Sed, praecipua ratio habenda *transpirationis cutaneae*, vnde melius agunt, feliciusque ex febribus emergunt, qui aliquot horis ante febris accessum corpus in le-

cto

(aa) de Vtilitate Philos. Experim. Exerc. V.

(bb) Vid. CHR. IO. LANGII, Diff. de Mortuis ex affectibus.



Eto fouent. Certe, licet superueniat paroxysmus, horrorem tamen mitiorem experiuntur & citius transeuntem, qui *in molli strato* eum expectant, prae istis, qui in frigido aëre degunt. VENERIS autem exercitium in totum vitandum, nam hoc ipsum in istis, qui ex morbo debilitati sunt, vires maximopere prosternit, & ex intermittentibus continuas facile efficit, in hecticas tandem abeuntes.

## CLASSIS SECUNDA.

*Morborum, in quibus Fluidi Neruei, siue Principii Perceptiui & Mouentis, Energia p. n. aucta est.*

### §. I.

**P**ER hosce morbos intelligimus Deliriorum genera, quae sine febre sunt, *MELANCHOLIAM* scilicet, imprimis vero *MANIAM*. Solent namque *Maniaci* immani, & vires humanas alias longe superante robore pollere, vt ne quidem ab octo, immo pluribus robustissimis Viris coerceri se patiantur. Oculi rutilant, & diductis palpebris, prominent feroces, nocte dieque patuli, lassitudinem aut somnum nesciunt. Facile ergo apparet, omnia Medico agenda esse, vt summa illa Energia Principii istius, quod Perceptioni ac Motui praeest, imminuatur. Nullis autem mediis id facilius obtinetur, quam reducendo Maniacos ad *parcam ac duram victus rationem*, quo omne pabulum viribus insolitis praescindatur. Si enim ipsorum genio indulgeas, bestiarum instar vorant, & difficillime ad sanam mentem redeunt. Certe Experientiss. Dn. PRAESES praeterito anno *tres Mulieres Maniacas*, & hac ipsa aestate *Virum* melancholia maniacalaborantem paucissimis remediis, immo potius *unico*, restituit, eo-que non violento, vomitorio, aut purgante drastico, sed *temperante, refrigerante, acidulo* ad 3. vel 4. septimanas in usum vo-



cato. Non tamen huic aequae, quam victus rationi felicem istum euentum tribuit: Nam praedictus ille Melancholico-Maniacus nulla ratione adigi potuit, vt medicamenta, assumeret, ob vanam imaginationem, quasi *veneno* sibi struerentur insidiae, nisi quod sub initium morbi, & illo iam declinante, aliquoties iis sit vsus. Consistit autem illud vitae regimen in eo, vt aegrotis nil quicquam concedatur, praeter *cortum dimensum panis vulgaris, aquae autem fontanae frigidae tantum, quantum desiderant*. Bene enim agitur de maniacis sine Cerere & Baccho relictis; Quodsi contra agnati, & adstantes, interpestiua commiseratione ducti, *lautiores* ipsis *dapes* apponunt, neque adeo cito, nec plerumque etiam adeo perfecte conualescunt. Exemplo suo etiam hoc comprobauit vna ex modo memoratis foeminis, quae jam per biduum recte mente valens, vestibis induta, parentibus assidebat. Hi ergo, quoniam magnam virium iacturam fecerat, aliquid *carnis elixi* ipsi offerunt, *cereuisiam* concedunt, immo etiam, melioris concoctionis gratia, paululum *Spiritus frumenti* propinant. Quid fit? Vix duae aut tres horae effluxerant, cum adeo furiosa denuo redditur vt vix ab octo hominibus coerceri posset. Sed inedia ac fame rursus debilitata, brevi ad se rediit. Ceterum sunt interdum, qui *panem* respuunt, non tamen propterea ipsis lautior victus concedendus, nam eo citius placidi redduntur: Nec periculum est, eos ex inedia perituros, quandoquidem fames, qua excruciantur, tandem efficit, vt etiam in pane atro delicias inueniant. Plus autem periculi timendum erit ex *Siti*. Itaque si forte aquae potum recusant, Intritum parari potest ex aqua & pane cum pomis citriis & Saccharo paratum, quod palato satis gratum est.

§. II. Praeterquam vero, quod immane illud virium robur, quod tantum negotii facessit adstantibus, hac ratione optime frangitur, virium exsolutionem SOMNVS quoque sponte excipere solet. Sunt enim VIGILIAE alias perpetui Delirantium comites, & morbum grauiorem reddunt ac magis rebellem. Somnus itaque Maniacorum & Melancholicorum optima est Medicina. Non tamen opiatis ille prouocandus, quippe



quippe quae placant quidem mentis ferociam, sed stuporem & fatuitatem relinquunt. Magis secure Somnum inuitat, & quidem sponte, *virium*, vt monui, *imbecillitas* & *solitudo*. Igitur quam primum vires fractae sunt, ita vt ab vno homine regi se patiantur, statim arceantur molestissimae peregrinorum *visitationes*, quorum alloquio phantasia magis turbatur & distrahitur; imo nec *domestici* frequentes adsint. Non tamen soli relinquendi, multo minus *caueis* includendi sunt: Citius enim ad mentem redeunt, si quasi sub Ludimagistro quodam degant, qui quoties aliquid inepte agunt, aut conantur, monitis, aut si ad haec non aduertunt, virgarum leni castigatione manus petulantes cohibeat. Nec quicquam metuendum, vt contra saeuiant, postquam vires semel fractae, & praesentem habent, quem metuant. Propterea etiam talis persona ad hoc officium eligenda, quae continuo, nocte dieque, aegroto adesse potest, statim enim mutationem personarum aduertunt, & nouum imperium respuunt.

§. III. Non tamen probamus illorum morem, qui *flagris* & *verberibus* in corpora maniacorum desaeuiunt. Interim *remedii loco* a quibusdam in vsum vocari, notissimum est. Ita PECHLINVS binos tales plagosos nominat Medicos, in infanorum curatione perquam celebres, quorum vterque tanta auctoritate gaudebat apud curae suae concreditos, vt non solum praesente ipso ne hiscere quidem ausi fuerint, sed etiam absente illo, modo nomen magistri insonuerit, statim potuerint compesci. (\*) Magna tamen hic opus esse prudentia ac discretionem, nec semper negotium succedere, quin aliqui in maiorem rabiem per verbera repetita ferantur, expertus testatur LENTILIVS *Eteodr.* 1709. p. 998. Et. B. BOHNIVS *de eff. Med.* p. 425. egregie hac de re ita monet: *Nonnulli equidem fatuorum ac insanientium, vinculorum, flagrorum, similiumque tormentorum duritie, ad sanio rem mentem reduci creduntur: plerique tamen per inhumana eiusmodi praesidia ad ferociorem insaniam euehuntur, alii in stuporem belluinum tandem coniciuntur. Poterat quidem per horrenda haec, annotante Celso, mentis fieri mutatio. Et ab eo statu, in quo haec-*

(\*) Obseruat. Med. Lib. III. Ob. 22.



nus fuit, *abduci*: *Ast contrarium etiam ex metu ac terrore immenso contingere, crebra evincit experientia, loquuntur molitoris asini.*

§. IV. LECTVS pro maniacorum decubitū non molli eligendus, aut stragulis sollicitè adornandus est; Dum enim saepenumero in res inanimatas quoque saeviunt, ea raro tolerare, sed conscindere & dilacerare solent. Adhaec plerumque sordidissimi sunt, & omni pudore exuto, caligas, lectos, & strata permingere & conspurcare non erubescunt. Sufficit ergo *nuda sponda, solo stramine*, non quidem ad mollitiem, sed tantummodo ut excrementa in illo excipiantur, ac remoueantur, constrata. Hoc pacto sane magis illis consulitur, quam leuibus & mollioribus stragulis, utpote qui calore suo magis intenso sanguinem in concitatiorem motum agitant, & ad orgasmum disponunt. Accedit, quod quicquid molestiam illis creat, quo ipsa durities lecti pertinet, mentem ad officium reuocat, ut cum reflexione rursus aduertere discant, & miserum suum statum eo magis persentiscant. Ut autem quieti in lecto detineantur, *non funibus constringendi sunt*; in fame debilitatis sufficit *fascia*, laxè sub alis ex vna lecti sponda ad alteram transmissa, sic enim facilius in somnum delabuntur, quem contra motus liberior, cum sibi relictis corpus pro lubitu erigere possunt, impedit.

§. V. Quod ad Excernenda attinet, in Maniacis plerumque actus vitales, quorsum & aluina excretio pertinet, rite procedunt. Quodsi tamen alius supprimatur, soluenda Clysteribus, aut Decocto prunorum, cum Senna, loco potus ordinarii. SANGVINIS MISSIONEM, in delirio Maniacō a multis Practicorum adeo decantatam, ut ad lipothymiam usque iterum iterumque eam celebrandam suadeant, nos quidem adeo necessariam haud iudicamus, & cuilibet ex hactenus dictis facile patefcet, solam victus rationem, in hoc affectu, omnem paginam absolvere posse. Constat quoque exemplo PLATERI, venae sectionem *Sexagies repetitam* demum voto respondisse; Toties autem hoc remedium in usum vocare, nobis hic non licet; una autem alteraque VStio plerumque aegros



tos reddat magis furiosos. Vbi autem *menstrum* vel *haemorrhoidum* fluxus suppressus maniam induxerint, ad ista consuetarum excretionum impedimenta, omnino respiciendum, atque sic phlebotomiam instituendam, aut pro re nata reitandam esse, quilibet facile videt. Ceterum dum hic & alibi V. S. mentionem iniecimus, nemo nobis hoc vitio vertet, aut extra oleas nos vagari putabit; pertinet enim sanguis ad excernenda, aut retinenda, adeoque eius regimen in diaeteticis omnino est attendum.

§. VI. MELANCHOLIA, si cum stupiditate, voracitate ac vigiliis coniuncta est, eadem ratione tractari postulat, ac mania, quoniam plerumque subito oritur, & breui in maniam transit, vt in Viro supra memorato contingebat, & in aliis quoque olim obseruauit Exc. Dn. PRAESES. *Certe praedictus Vir, hypochondriacus, quantumuis adhuc mente constaret, subito, post alterationem & rixas cum alio ciue, mortem violentam, insidias, gladios, venena, tanquam mortis instrumenta, metuebat, nec Vxori aut liberis, cum quibus alias optime ipsi conueniebat, amplius tutam adhibebat fidem. Altero statim die persuaderi se patitur, vt Venaesectionem admittat; Sed vix sanguinem effluere cernit, cum statim reluctatur, paricidas vocat adstantes, truculentam faciem induit, & eo ipso die in furorem prorumpit.* Habent enim hoc Melancholici cum maniacis commune, vt integras noctes insomnes ducant, & profundis suis meditationibus mentem turbent, aut potius illud instrumentum, quo mens ad suas operationes vtitur, subtilissimum cerebri fluidum, peruertant, adeoque facillimus Melancholiae in Maniam transitus obseruatur. Principium namque illud Perceptium recreatione indiget nocturna, & mediante somno moderato actibus animalibus conseruatur aptum: Perpetuis vero vigiliis, praesertim si accedat corporis Habitus exsuccus, qualis melancholicorum esse solet, & ex animi affectibus vindictae cupido, quam tamen ob timiditatem naturalem aperte exercere non audent, & propterea adeo contrariis animi commotionibus, quibus tanquam furiis, continuo agitantur, necessario magis incalescit caput, & Principium illud Perceptium ac Mouens adeo igneum & actiuum tandem redditur, vt imperium



perium mentis amplius non agnoscat, unde belluarum in modum ferociunt, & pares etiam in corpore exercent vires, a nullo mortalium alias in statu naturali peragendas.

§ VII. Reliqui Melancholici, qui circa vnam aut alteram ideam hallucinantur, in reliquis autem recte sapiunt, plerumque non, nisi per sensibilem quandam impressionem, in contrariam imaginationem, & rectam rationis viam reducuntur. Hoc ut obtineas, confirmandi sunt in stolidi ista imaginatione, donec per euidentia sensuum documenta vel vanitatis conuincantur, vel etiam imaginariam experiantur medelam. Legi in eum finem possunt quae a GALENO, TVLPPIO, HARSDOERFERO, & SCHENCKIO collecta recensentur: *Sic Literatus ex Studiorum intemperantia, & nocturnis lucubrationibus tandem sanitatem laedit, sibi que imaginatur, se Passeres alere in Capite; Chirurgus promittit operationem; & dissecta Capitis cute, ut sanguinis fluxu & dolore Melancholicus conuinceretur, simulat, se passeres ex vulnere protrahere; & successiue unum alterumque, quos secum cum in finem attulerat, in libertatem vindicans, per Musaeum volitare permittit, non sine singulari aegroti gaudio, qui nullos amplius passeres in Cerebro percipiebat, postquam ex consilio Medici melius diaetae rationem haberet, & noctem somno rite transigeret; contra vero interdum vnam aut alteram horam corporis exercitio, aut mentis impenderet relaxationi. Sed haec de Deliriis, pro scopo nostro, sufficiant. Sequitur iam*

## CLASSIS TERTIA.

*Morborum, in quibus cum Energia Fluidi Neruei debilitata, tum partium solidarum Tonus destructus, aut imminutus est.*

### §. I.

**E**X inscriptione huius Classis facile patet, varios & multiplices morbos sub ea comprehendere, ex quibus praecipuos nomi-



nominaſſe ſufficiat, vt ſunt *Hydropis* variae Species, & *Apople-  
tici* ac *Soporofi affectus*. Quod autem primo HYDROPEM at-  
tinet, in iſto quidem vberior & plenior victus exulare debet:  
nam ex repletione ventriculi inſignem plerumque experiun-  
tur moleſtiam. *Cibi* tamen eligendi qui multum nutriunt, ut  
ſunt *carnes animalium*, & quidem aſſae potius quam elixae:  
nam ſuperfluum humidum *Hydropicis* ſubtrahendum. Et  
cum in *Diureſi* *Hydropicorum* ſalus verſetur, inter bellaria aut  
acetaria, talia apponenda, quae virtute *Urinam pellendi* pollent, ut  
ſunt *Mespilorum* fructus, *Cidon.* condita; Radices *Cichorei* ad  
mollitiem coctae, cum oleo ac aceto aſſumendae; quo perti-  
nent *Cappares*, *Cochlearia*, *Nasturtium* &c. Quodſi autem ſoli-  
diores cibos non ſatis ferunt *Hydropici*, iura carniū probe  
ſaturata & Sale, Rad. *Apii*, *Petroſelini*, *Asparagi* turionibus, item  
*Herbis Acetoſae Spinachiae*, vel *Porro* ac *Cepis*, pro palato aegroti, con-  
dita concedantur. Quae etiam in tali caſu loco potus ordi-  
narii inferuiant, eo magis utilia, quoniam calida in uſum vo-  
cari poſtulant. *Actu frigida* enim quaelibet *Hydropicis* noxia,  
quoniam obſtructiones viſcerum & glandularum excitant, aut  
confirmant, & Depurationis negotium magis reddunt impe-  
ditum. Maxima difficultas circa regimen *potulentorum* occur-  
rit: Sunt enim *Hydropici* potus auidiſſimi, iuxta tritum illud:  
*Quo plus ſunt potae plus ſitiuntur aquae*. Nil autem magis Seri  
abundantiam auget, & ſimul Tonum ſolidarum deſtruit, quam  
frequens illa *potulentorum* ingurgitatio. Contra vero, nihil  
eſt, quo ſuis rebus melius conſulere poſſunt, quam ſi mature  
cupiditatibus ſuis imperare diſcant. Abſtinentia enim a potu,  
ſponte corpus exſiccatur, & partes robur ac tonum ſuum recu-  
perant; Immo integra Natura roboratur, ut actus vitales,  
ac depuratorios maiori Energia perficiat. Quandoquidem  
vero omnimoda a potu abſtinentia vix a miſeris hydro-  
picis exſpectari poteſt, diaeta eorum ita moderanda eſt,  
vt ultra *libram potulentorum* intra ſpatium 24. horarum nil conce-  
datur. Obſeruauit quidem Celeb. PECHLINUS, (a) *bydro-  
pe*

---

(a) Lib. X. Obſ. 63.



*pem aliquando aridiori cereuissiae potu curatam*; Sed, quod casu, aut fortuna, ex singulari Naturae beneficio accidit, id tuto imitari nequit, cum longe plura ingluuiei exempla adduci possint, quae sinistrum euentum habuere. Non autem quantitas potulentorum tantum; sed etiam qualitas eorundem attendenda venit. Facile autem apparet, talia eligenda esse, quae sine difficultate per urinam redduntur. Abstineant ergo Hydropici a cereuissia *crassa, minus defaecata, ac dulci*; Eligenda potius *tenuis, clara, probe lupulata, & optime cocta*: Cum fermentationi exponitur, adiiciantur baccae *juniperi, & strobuli Pini*, vt liquoris diuretica virtus augeatur. Praestat autem *calidam* potius bibere cereuissiam, quam actu frigidam. Nec insuaue aut minus salutare est, *Limoniorum* succo potum impraegnare, nam & *acida* diuretica pollent virtute. Propterea etiam *Vinum Rhenanum*, aut *Mosellanum*, in Hydrope laudem meretur, omnibus potulentis praeferendum, modo febris praesentia eius usum admittat. Casterum quoniam absolute necesse est, vt potu admodum parco vtantur Hydropici, suppeditanda ipsis sunt media, quibus sitim fallere possint, ut sunt omnia, quae saluam proliciunt, & fauces humectant. Mastificentur ergo *Cort. Citri, Aurantiorum*, aut quibus, volupe est, *folia tabaci*, aut particula *panis tostii, Spiritu Vini imbuta*, aliquoties de die in ore teneatur, quo remedio palliatiuo foemina quaedam ab omni potu per mensem abstinens, teste LISTERO, cum successu vsa est.

§. II. Dolendum autem quam maxime est, paucissimos ex hoc aegrotorum genere saluberrimis monitis morem gerere. Plerique, quamuis abstinentiam simulent, clandestine tamen potulenta ingurgitant, adeoque naturam debilem, & in depurationis negotio deficientem, adhuc magis opprimunt: Ideoque, vt CELSVS refert, non Ignobilis Medicus, Chryssippi discipulus, apud Antigonom regem, amicum quendam eius, notae intemperantiae, mediocriter eo morbo implicitum, negauit posse sanari. Cumque alter Medicus Epirotes, Philippus, se sanaturum polliceretur; respondit, illum ad morbum aegri respicere, se ad animum. Neque eum res fefellit. Ille enim, cum summa diligentia, non Medici tantummo-



do, sed etiam Regis custodiretur, tamen malagmata sua deuorando, bibendoque suam urinam, in exitium sese praecipitauit. Haetenus CELSVS. Nec putandum, eos tantummodo in his delinquere, qui diutius olim Bacho litarunt, & fere obbrutuere. Sane, nec isti sibi semper temperare queunt, qui prae ceteris sapere student, quantumvis agnoscant sua damna, & intemperantiae ac inobedientiae poenam quotidie experiantur; Interim isti plerumque artificiosius abstinentioniam fingunt, ne animi sui prodant impotentiam: Medicis tamen minime imponere possunt; Si enim *urina* rite succedit, intumescencia vero corporis, aut non cessat, aut potius incrementum capit, facillimum est eos conuincere intemperantiae: Sed plerumque surdis narratur fabula.

§. III. AER sit moderate calidus & sicus, frigidus enim & humidus, *Hydropicis* maxime infensus est. Vnde si anni tempus minus fauet, igne fornacum, aut lecti blando calore, pro aegrorum diuersa conditione, corrigi debet. Licet enim aegrosi, ad perspirationem inhabiles sint, frigidam tamen auram haud ferunt, rigent enim statim, & humores ad stasim magis redduntur procliues. *Balneationes pedum* tamen & infusus ipsis non conducunt, & ab Auctoribus communiter dissuadentur. Habuit interim Celeb. Dn. PRAESES exemplum *Leucophlegmatia*, & insigni pedum tumore laborantis, qui proprio ausu *Pediluuium*, bis quauis septimana, instituebat, ex *Satureia*, *Sale marino Hispanico*, & paullo *Cinerum clauellatorum* parata; finito balneo, pedes fornaci apponebat, ut calore sicco humiditatem omnem dispelleret, felici cum euentu.

§. IV. Fugiant insuper aegri, quantum fieri potest, quietem & vitam sedentariam. MOTVS contra, modo vires & moles corporis id ferant, quotidie curru instituatur, ut actus vitales ac depuratorii magis accelerentur: Postquam autem paullo magis confirmati sunt, exerceantur industria, & labore tali, qui non aequae impetu, & membrorum agilitate indiget, sed potius constantem partium omnium nisum postulat, e. g. *Ligna scindant Serra, vel Dolabra utantur* &c. non tamen ad sudorem, quippe qui



qui in talibus rarissime consequitur, sed ad aliqualem lassitudinem, quouis bihorio exercitium repetendo.

§. V. SOMNVS ultra 7. vel 8. horas non extendatur; nimius enim corpus magis segne & torpidum reddit, & humorum vitiosorum copiam adauget. Vigiliae contra corpus attenuant, & superfluos humores consumunt. Nec verendum, ne laborioso hocce & actiuo vitae genere vires hydropicorum destruantur: Quo magis enim eorum corpora labore exercentur, & abundans serosum viscidum consumitur, eo maius robur acquirunt partes corporis solidae, & Energia Naturae magis redditur actiua.

§. VI. Ultimo loco de *Apoplexia*, *Paralysi*, *Stupore*, & morbis soporosis quaedam subiiciamus. In hisce omnibus victus tenuis, itemque diuretica virtute pollens, conuenit. Vt sunt, Iuscula ex decocto *Cerasorum*, *acetosell.* &c. parata, quibus lubricantia, e. g. *decocta auenacea*, *hordeacea*, tenuioris consistentiae, interponere consultum erit; repletio enim hisce non conuenit. Alio tamen, immo contrario modo, agendum cum iis, quibus corpus inedia debilitatum est, v. g. qui *aquas ardentes* in deliciis habent, die sich fleißig am *Aquavit oder Brandtwein* halten, & propterea per tot annos appetitu plane prostrato laborant. Sic exemplum memorat Dn. PRAESES, Viri, infra quinquagesimum aetatis annum constituti, qui, cum per aliquot annos ejusmodi Spiritibus & Nicotianae succui indulserat, & perpetua laborauerat nausea, tandem Hemiplegia correptus, cum nec Spiritus ardentes, nec fumus Nicotianae concederetur, intra paucos dies tantam contraxit famem, ut ne matutinis quidem horis, ex Somno statim expergescens, a cibis abstinere posset, sed latrantem stomachum alimentis sedare cogeretur; Sed tantum absuit, ut ciborum abundantia, quos quatuor vicibus quotidie assumebat, laederetur, quin breui, recollectis viribus, morbum superaret, pedis manusque usu restituto. Quamuis autem in tali casu victus vberior concedendus sit, a potulentorum tamen nimio usu arcendi sunt. Humidum enim in corpore abundans Cerebro infestum est, & actus mentis ac animales destruit; ut propterea recte se habeat antiquum



liquum illud, *Sapientiam habitare in sicco*. Accedit, quod in eiusmodi aegrotis, etiam actus vitales ac depuratorii minus expedite procedunt, unde potulenta non rite rursus excluduntur. Hinc nec *acidularum* aut *thermarum* potus talibus suadendus, quoniam ex aquarum ista ingluvie, si forte Cerebro non officiat, facile hydropem contrahunt, quale exemplum in *Viro nobili* ante paucos annos habuimus, qui ex *Hemiplegia* restitutus, & satis commode valens, cum aliqualem linguae impotentiam, quae supererat, *thermarum* usu vincere studeret, ascite correptus perijt.

§. VII. Medicus quoque prospiciat, ut emunctoria naturae aperta seruentur. Ut ergo ALVI EXCRETIO rite succedat, interponenda sunt *lubricantia* e. gr. *Pruna damascena c. fol. Sennae decocta*; & loco potus ordinarii, *serum lactis*, quod simul vrinam promouet, sicque congestiones a capite auertit, quo nomine & ipsum *Vinum Rhenanum* laudandum venit, quoniam & aluum, & vrinam pellendo, vtramque paginam absoluit: non tamen sub initium morborum, sed cum decrescere incipiunt, commendari meretur. Contra vero V. S. in adfuetis, aut in *Apoplexia Sanguinea* statim sub initium instituatur. VENERIS exercitium quam maxime in his affectibus nocet: ut ut namque haec actio sit quasi spasmus quaedam species, quae totum corpus perstringit, adeoque relaxationi, s. resolutioni partium opposita videatur, attamen obseruari quoque debet, quod actus Venereus maiores humorum ad caput congestiones excitat, unde pars affecta, Cerebrum nimirum, aut medulla Spinalis, maiorem patiuntur oppressionem.

§. VIII. AER frigidus hic pariter omni studio vitandus, nam solo frigore eiusmodi morbos inductos esse, experientia docet. Neque tamen in contrarium peccandum, nam & regimen sudoriferum ipsis nocet. Praestat autem particularem calorem excitare in partibus, à capite remotioribus, ut sanguinis impetus à capite auertatur; in quem finem *frictiones*, in pedibus potissimum, instituuntur, item *pedilutia*, vel etiam *lagenae stannae*, calida repletae, *plantis pedum* subiiciantur: Cum quibus tamen caute procedendum est; pedes enim apoplecticorum



sensu destitutae, hoc pacto facillime, ipsis insciis, comburi possunt, quale exemplum heic loci contigit in *Viro*, *Hemiplegia* sinistra lateris laborante, cuius crus ob negligentiam adstantium, lagena tali ita excisum, aut exustum plane est, ut carnis magna portio excideret, & ulcus profundum consequeretur, diu consolidationem respuens. Interim aeger, postquam ignis vis ad ossa penetrauerat, tandem dolorem percipiebat, eumque indicabat adstantibus, sine dubio ob periostii sensibilitatem. Atque pes iste, altero statim die, & sensu & aliquali motu pollebat, cum contra lingua & manus ultra octiduum adhuc resolutae persisterent. Ex quo casu infimul apparet, quid cauteria vel actualia, vel certe potentialia, in istiusmodi morbis valeant: Sed haec ad Medicinam Chirurgicam pertinent.

§. IX. Quemadmodum SOMNVS, modum excedens, non modo capiti grauitatem ac torporem, sed omnibus etiam corporis partibus languorem inducit, & tam animo quam corpori agilitatem detrahit, ita apoplexia, paralyfi, & stupore affectis omnino cauendum est, ne nimium dormiant: itaque per vices excitandi, & blando alloquio a veterno abstrahendi sunt, quod ipsum ut felicius obtineas, in promptu sit Potus Coffee, specifica quadam vi somnolentiam arcens, & caput roborans.

§. X. Quam primum reconualescentiae aliqua signa adsunt, & vires aegroti id permittunt, MOTVS corporis imperandus est, non tamen placidus tantum, e. g. *excursiones in curru*, sed fortiori quoque partes olim resolutae exerceantur, ut remanens impotentia labore corrigatur, & naturale robur restituatur. Nec inhonestum putent, *fulcris subalaribus* primum incedere, ut gressum firmare discant. Exercitatio enim interdum plus valet ipsa Medicina, quippe quae remouere quidem potest id, quod cerebrum ac nervos obsedit, robur partium autem solus restituit usus, & labor, unde isti, qui nimium otio & ignauia delectantur, nunquam plenarie conualescunt.

§. XI. Qui naturaliter placido & indolenti animo praediti sunt, istis etiam prodest, ut occasionem *Iracundiae* quaerant. Paradoxon hoc nemini videbitur, qui attentius paullo consi-



confiderauerit, quantam animi pathemata in C. H. habeant efficaciam, IRA imprimis, quippe quae in aucto cum fluidorum, tum partium solidarum, motu consistit, adeoque actus vitales ac depuratorios necessario accelerat, quemadmodum idem illud obseruat Hippocrates 2 Epidem. Sect. 4. circa finem. Nec difficile foret, varias, in huius rei probationem, Auctorum obseruationes adducere, nisi ad finem properaret tractatio nostra. Legi interim de h. a. possunt Dissertationes LANGII (c) & FICKII (d) Iuuat quoque Coronidis loco, obseruationem quandam subnectere DN. PRAESIDIS : *Sacerdos quidam, infra quadragesimum aetatis annum, Temperamento Sanguineo-Pblegmatico, & Habitu corporis succipleno, ultra biennium impotentiam aliquam membrorum, & stuporem digitorum in manibus, pedibusque experitur; Nocturno vero tempore saepius cum anxietate e somno excussus, lateris, cui incumberebat, praepremis manus pedisque, plenariam impotentiam ac totalem insensibilitatem obseruat. Itaque ab adstantibus in alterum latus deuolutus, denuo quidem obdormiscit, sed post horam forte pari cum anxietate expergiscitur. Durante somni interuallo, partes, antea stupidae, motum & sensum recuperant, sed contra in membris, alterius lateris, in quo ultimo quieuerat, instar trunci immobilibus, nihil vitalis sensus superest. Haec cum pateretur aeger, & grauiora metueret, varios ex diuersis locis consulit Medicos, & tandem etiam Dn. PRAESIDIS consilium expetitur, sed omnia incassum. Ceterum, cum iste ex non paucis circumstantiis agnosceret mite & placidum Sacerdotis ingenium, haberetque aegrum consistentem, quod irasci penitus nesciret, Auctor ipsi fuit, ut interdum iracundiam saltem affectaret. Itaque, quoties serui aliquid delinquent, simulat iram, increpat eorum negligentiam; Quid fit? Isti correctionis impatientes, aut non adsueta, primo vident effectatam istam seueritatem, mox obblaterant. Qua insolentia irritatus ille, excanduit serio, eandemque scenam quotidie repetit, adeo exoptato cum successu, ut breui a molesto hoc affectu liberaretur. Certe quemadmodum animi intemperantia grauissimos nonnunquam corporis morbos pro-*

(c) De Animi Commotionum vi Medica T. III. Opp. p. 17.

(d) De Irae efficacia & remediis.



40      ¶ ( o ) ¶  
producit, sic contra prudens, & moderatus ipsorum usus, san-  
tatem conseruat, vel collapsam eandem restituit (e)

§. XII. Sed haec sufficient, vt appareat, quam necessa-  
rium sit Diaetae in morbis Regimen: certe ut hac sola multi &  
magni morbi saepe extirpantur, sine vlllo medicamentorum  
apparatu, sic contra, frustra medicamentis pugnant, qui Diae-  
teticam Medendi Rationem aut non intelligunt, aut negligunt.  
Optandum itaque fuisset, ut Illustr. BAGLIVVS, pro ea, qua  
in Artis exercitio pollebat dexteritate, hoc argumentum,  
quemadmodum promisit, absolvisset; Nil enim, nisi egre-  
gium ab ipso expectari poterat. Sed hanc  
felicitatem nobis inuiderunt  
Fata.

**S. D. G.**

---

(e) V. Schelhamm. Tr. de animi hum. aff. c. 13. Cel. Pechlini Ob-  
feru. L. III. 26.

